

## Distinctio XIV

/Vb 197ra; X 384a/ “Praeterea diligenter”, etc. Postquam determinavit Magister de prima proprietate Spiritus Sancti, quae est aeterna spiratio, hic incipit tractare de secunda proprietate eiusdem Spiritus, quae est productio temporalis. Et circa hoc duo facit. Inquiri enim primo de temporali processione, quid sit. Secundo vero, quot modis fit. Secunda ibi distinctione 16: “Nunc de spiritu sancto”. Circa primum duo facit, quia processio Spiritus Sancti sortitur nomen missionis et dationis et nomen processionis. Primo ergo tractat de ea sub nomine processionis, et secundo sub nomine dationis et missionis. Secunda ibi distinctione 15: “Hic considerandum est”.

Circa primum tria facit. Primo enim ostendit Spiritum Sanctum temporaliter procedere. Secundo vero inquiri modum quo dicitur in nos procedere vel nobis dari, an videlicet istud /X 384b/ sit quia eius dona donentur, vel quia ipsemet detur. Tertio vero inquiri utrum secundum istum modum a viris sanctis procedat vel detur. Secunda ibi: “Sunt autem aliqui”. Tertia ibi: “hic quaeritur”.

Circa primum tria facit, secundum quod auctoritate triplici probat Spiritum Sanctum ex tempore procedere. Primo ergo inducit Augustini auctoritatem, dicens quod non solum Spiritus Sanctus aeternaliter a Patre Filioque procedit, immo et temporaliter procedit ab utroque ad creaturam sanctificandam, et hoc est quod dicit Augustinus, XV *De trinitate*, ait enim quod Spiritus Sanctus non procedit de Patre in Filium, ut postmodum ad creaturam sanctificandam de Filio procedat, sed ad sanctificandum simul exit et procedit ab utroque.

Secundo ibi: “De temporali autem”. Inducit auctoritatem Bedae exponentis illud Ioan. 15 scriptum: “Cum venerit Paraclitus”; ait enim quod cum Spiritus Sancti gratia datur, profecto mittitur a Patre et Filio, Spiritus Sanctus proceditque a Patre et procedit a Filio, quia eius missio ipsa est processio; ex quibus verbis colligitur quod cum missio sit proprietas /X 385a/ temporalis et processio erit aliquid temporale.

Tertio ibi: “Hanc quoque temporalem”. Magister inducit auctoritatem Augustini dicentis quod cum Christus a mortuis surrexisset insufflavit in discipulos dicendo: Accipite Spiritum Sanctum ut Spiritum ostenderet procedere de se ipso. Haec autem processio referri debet ad temporalem donationem, quod patet ex his quae subdit Augustinus ibidem; ait enim quod post resurrectionem bis dedit dominus Spiritum Sanctum, semel in terra, dum insufflavit in discipulos propter dilectionem proximi, et iterum de coelo in die Pentecostae propter dilectionem Dei. Sic igitur patet quod illa insufflatio processionem temporalem Spiritus Sancti denotabat.

Postmodum ibi: “Sunt autem aliqui”. Inquiri an ipsemet Spiritus Sanctus procedat temporaliter in nos et detur ipsemet nobis, aut procedant tantummodo dona eius, puta gratia et virtutes. Et circa hoc facit quatuor, secundum quod quatuor auctoritates inducit, quibus probatur quod non solum Spiritus <Sancti> [Sanctus Vb] do-/Vb 197rb/-na, immo ipsemet Spiritus, qui est Deus, in nos procedit et nobis datur.

Est ergo prima Augustini, qui dicit eundem Spiritum Sanctum datum, cum insufflavit Iesus, de quo mox ait: Ite baptizate in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti; et subdit quomodo Iesus non est Deus qui dat Spiritum Sanctum omni.

Secunda vero est Ambrosii, qui dicit quod Spiritus Sanctus, qui infunditur animis, et illabitur sensibus, non est de substantia seu natura corporalium vel invisibilium creaturarum; per quod innuit quod Spiritus, qui mentibus illabitur, non est creatura sed Deus.

Tertia quoque auctoritas est eiusdem Ambrosii, qui dicit quod Spiritus Sanctus, qui datus est nobis, non est mutabilis; omnis autem creatura est mutabilis, per quod aperte innuit quod Spiritus qui datur hominibus, non est creatura, sed Deus.

Quarta deinde est Augustini, qui dicit Spiritum Sanctum esse donum tantum, et tale quantum et qualis est ipse qui dat; unde dicit quod donum est aequale danti, et ita sequitur quod est Deus cum detur a Deo.

Postmodum ibi: “Hic quaeritur”. Magister inquiri utrum secundum hunc modum Spiritus Sanctus procedat aut detur a sanctis viris; et tria facit. Primo enim inquiri quid sit de facto, et determinat quod Spiritus Sanctus ab hominibus non donatur, quod probat ratione quidem quod dari vel mitti Spiritum est procedere ipsum; nunc autem creator non procedit a creatura; et per

consequens Spiritus Sanctus non datur ab hominibus, nec mittitur nec procedit. Auctoritate quoque Augustini idem confirmat, dicentis quod nullus discipulorum Christi dedit Spiritum Sanctum, sed nec Simon Magus fuit ausus ab Apostolis postulare, quod cui imponeret manum acciperet Spiritum Sanctum, sed quod daretur sibi Spiritus Sanctus.

60 Secundo ibi: “Et quod plus est”. Ostendit Magister quid est de possibili, et determinat secundum /X 385b/ auctoritatem Augustini quod nulla creatura potest dare Spiritum Sanctum, nec hoc potuit etiam Christus in quantum homo.

Tertio ibi: “Sed huic videtur contrarium”. Magister obicit contra praedicta, et dissolvit dicens quod huic videtur opponi, quod Apostolus ait ad Galatas 3, loquens de se ipso, et interrogans, 65 quis tribuit vobis Spiritum et operatur virtutes in vobis; per hoc innuens quod ipse Spiritum tribuisset. Et respondet Magister quod Apostolus intellegit se tribuisse dispositive, in quantum per praedicationem Apostoli fuerunt Galatae dispositi ad receptionem Spiritus Sancti, quem non ipse Apostolus, sed Deus, illis tribuit effective.

Haec est sententia.

70

### **Utrum processio temporalis sit proprietas Spiritus Sancti.**

Et quia magister hic agit de processione temporali Spiritus Sancti, ideo inquirendum occurrit utrum temporalis processio Spiritus Sancti sit eius proprietas. Et videtur quod non, nullum enim temporale et motum localem importans potest esse proprietas personae divinae. Sed processio 75 temporalis novitatem importat et localem mutationem: procedere enim de uno in aliud ire est. Ergo temporalis processio Spiritus Sancti proprietas esse non potest.

Praeterea, unius personae unica est processio. Sed Spiritus Sanctus una persona est, cuius est proprietas processio aeterna. Ergo processio temporalis non est eius proprietas.

Praeterea, nulla res dicitur procedere, pro eo quod ab ea aliquid procedit, non enim sol 80 dicitur procedere a coelo in terram ex eo quod radius ab eo procedat et contingat terram, et similiter nec arbor dicitur procedere, quamvis rami et flores ab ea procedant. Sed Spiritus Sanctus non aliter procedit in nos, nisi gratia et /Vb 197va/ virtutes quae dona sunt eius, ab eo profluunt et procedunt in nos. Ergo videtur quod Spiritus Sanctus proprie temporaliter non procedat.

85 Praeterea, illud non dicitur procedere quod non incipit esse, ubi ante non erat. Sed Spiritus Sanctus semper ubique erat per essentiam, praesentiam, potentiam, cum sit Deus; et Sapiens dicit de eo, Sapientia 7, quod attingit ubique propter sui munditiam. Ergo videtur quod temporaliter non procedat.

Praeterea, illud quod animam ponit extra se ipsam, non dicitur proprie procedere in animam, 90 sed magis animam trahere ad se ipsum. Sed Spiritus Sanctus per donum amoris ponit animam extra se ipsam et extra mundum, iuxta quod ait Salvator de discipulis loquens Ioan.17: “De mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo”. Ergo per donum amoris Spiritus Sanctus non dicitur procedere, sed magis trahere animam ad se ipsum.

Praeterea, non solum caritas est donum Dei, immo et fides, et prophetia, et genera 95 linguarum, et multa alia quae enumerat Apostolus I ad Corinthios 12; quibus enumeratis concludit quod haec omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis, prout vult. <Similiter> [Simpliciter Vb] etiam et dona naturalia sunt a Spiritu Sancto. Sed datis istis, Spiritus Sanctus non dicitur procedere. Nec ergo per donum caritatis menti communicatum proprie procedere dicitur.

100 Praeterea, caritas et dona cetera non profluunt /X 386a/ a sola persona Spiritus Sancti, immo inseparabiliter et communiter a tota trinitate. Sed non ex hoc tota trinitas dicitur procedere. Ergo nec Spiritus Sanctus.

**Quod processio temporalis sit proprietas Spiritus Sancti.** Sed in oppositum videtur quod 105 Augustinus dicit, XV *De trinitate*, capitulo 17, ait enim quod Spiritus Sanctus simul de utroque procedit ad sanctificandum creaturam. Sed constat quod creaturae sanctificatio fit ex tempore. Ergo processio Spiritus Sancti ad creaturae sanctificationem est temporalis.

Praeterea, Beda dicit – exponens illud Ioan. 15, “Cum venerit Paraclitus quem ego mittam a Patre” – quod cum Spiritus Sancti gratia datur hominibus, procedit a Patre et Filio Spiritus

110 Sanctus. Sed constat quod hominibus gratia datur ex tempore. Ergo aliqua est temporalis processio Spiritus Sancti.

Praeterea, Augustinus dicit, XV *De trinitate*, capitulo 26, quod cum insufflavit Christus in discipulos, dicens “Accipite Spiritum Sanctum”, innuit eum procedere ex se ipso; et subdit quod post resurrectionem Dominus bis dedit Spiritum Sanctum; ex quo colligitur quod Spiritus Sancti datio est quaedam processio. Sed nulli dubium est quin datio Spiritus Sancti sit temporalis. Ergo aliqua est processio Spiritus Sancti temporalis.

**Responsio ad quaestionem.** Ad quaestionem istam respondendo hoc ordine procedetur. Primo namque inquiretur an temporalis processio competat ipsimet personae Spiritus Sancti aut tantummodo donis ipsius. Secundo vero videbitur quomodo se habeat temporalis processio ad aeternam. Tertio quoque apparebit ex hoc quomodo temporalis processio est proprietas Spiritus Sancti.

### Articulus Primus

125 **Opinio quorundam.** Circa primum ergo considerandum quod aliqui dixerunt Spiritum Sanctum non aliter procedere in nos nisi quia ab eo profluunt dona eius; et secundum hoc processio temporalis non competit proprie Spiritui Sancto, sed competit gratiae et virtutibus, quae sunt dona ipsius.

Sed haec opinio /Vb 197vb/ stare non potest, tum quia est contra dicta sanctorum, quia Augustinus, XV *De trinitate*, capitulo 26, dicit illum Spiritum Sanctum datum, cum insufflavit Iesus, de quo dictum est: “Ite baptizate in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti”; et subdit quomodo Deus non est, qui dat Deum, ubi expresse testatur quod Spiritus Sanctus, qui Deus est et tertia in trinitate persona, vere datur hominibus et procedit in eos. Similiter etiam idem dicit Ambrosius, libro I *De Spiritu Sancto*, capitulo 4 et 5, et Magister allegat in littera, tum quia si sola dona Spiritus Sancti procederent, non ex hoc diceretur Spiritus Sanctus procedere, quia pari ratione tota trinitas procederet, cum eadem dona profluant communiter a tribus personis; tum quia generaliter falsum est quod aliquid ex hoc procedat, quod /X 386b/ ex eo effectus procedit, nam ex hoc sequeretur quod terra procederet aut iaciens sagittam, quia herbae procedunt a terra, aut a iacente sagittam.

140 **Opinio Thomae, parte prima, quaestione 43, articulo 3, et Hervaei, Scripto I, et Durandi.** Propterea dixerunt alii quod ipsemet Spiritus Sanctus dicitur procedere in ipsa communicatione donorum. Est enim considerandum quod aliquid dicitur in aliud procedere, vel sicut in subiectum (eo modo quo calor datur aquae ab igne et procedit in ipsam), vel sicut in obiectum (eo modo quo amans dicitur procedere in amatum), vel ut sit obiectum (eo modo quo amatum et intellectum dicitur procedere et pervenire in mente amantis et intelligentis), vel ut sit rector, motor, et tutor eius in quod procedit (eo modo quo dicimus quod rex procedit ad talem locum ut defendat et tueatur ipsum). Secundum hoc ergo Spiritus Sanctus non dicitur procedere, quia detur hominibus sicut forma inhaerens, et ideo non procedit in mentem tamquam in subiectum; procedit ergo quia ex donis suis provenit, ut sit obiectum amatum et intellectum, et ut sit amans et motor et rector. In homine namque habente gratiam gratum facientem habitat Spiritus Sanctus in ratione amati et cogniti, et in ratione motoris et rectoris et amici; unde cum in omni creatura sit Deus per essentiam et potentiam, in creatura tamen rationali secundum gratiam gratum facientem habitat modo speciali, quia in ratione amati et cogniti.

155 Sed haec opinio stare non potest, in illo enim non consistit processionis ratio quod est commune tribus personis, quia persona Patris non dicitur temporaliter procedere, immo processio temporalis est propria Spiritus Sancti. Sed procedere in mentem rationalem in ratione amati et cogniti et amantis, ac moventis, seu dirigentis commune est tribus personis; nam per gratiam gratum facientem diligitur tota trinitas et reciproce tota trinitas diligit et in ratione motoris assistit. Ergo in hoc processionis ratio non consistit.

160 Et si dicatur quod procedere importat originem personae a persona, propter quod non competit toti trinitati procedere, quamvis sibi competat secundum hunc modum esse in mente per donum gratiae gratum facientis, dicendum quod hoc confirmat propositum, quod scilicet processionis ratio secundum quam ipsemet Spiritus Sanctus dari dicitur in hoc non consistet.

165 Praeterea, talis modus essendi Spiritus Sancti in creatura debet attribui processioni qui habeat aliquem ordinem ad emanationem aeternam Spiritus Sancti a Filio et a Patre. Sed Spiritus Sanctus non procedit a Patre et Filio in creaturam sub ratione obiecti amati, aut cogniti, nec sub ratione /Vb 198ra/ rectoris; non enim spirant ipsum Pater et Filius, ut obiectum amoris vel intellectionis creaturae, nec ut rectorem sive motorem ipsius. Ergo hic modus existendi  
170 <Spiritus Sancti> [Spiritus Sanctum Vb] in creatura rationali, non spectat ad temporalem processionem ipsius.

Praeterea, si iste modus haberet veritatem, sequeretur quod omnes res, dum mens incipit eas /X 387a/ intelligere et amare, procederent in mentem; et similiter omnis motor diceretur procedere in rem motam. Sed hoc non dicitur, non enim sol dicitur procedere in animam dum  
175 intelligitur, nec procedere in terram dum ipsam movet et alterat. Igitur non est competens modus iste.

**Opinio Bonaventurae.** Et ideo dixerunt alii quod cum procedere sit ab uno in alium protendi, hoc contingere potest dupliciter: primo quidem ut in obiectum; secundo vero ut in susceptivum.  
180 Secundum primum modum procedit aeternaliter a Patre in Filium Spiritus Sanctus, et e converso a Filio in Patrem, cum sit amor mutuus utriusque. Secundo vero modo non procedit aeternaliter, quia in nullo susceptivo Spiritus Sanctus recipitur, cum sit persona subsistens; Graeci tamen imaginantur ipsum in Filio permanere, temporaliter autem procedit quidem secundum aliquem modum quasi in susceptivum, in quantum dona eius suscipiuntur in anima.  
185 Et ita temporalis processio Spiritus Sancti in creaturam non est tantum ut in obiectum, sed sicut in habitaculum.

Sed haec opinio, nisi addatur amplius, incideret in primam; non enim Spiritus Sanctus vere suscipitur, nec procedit in mentem tamquam in habitaculum et susceptivum, sed tantummodo dona eius.

190

**Quid dicendum secundum veritatem, et ponitur distinctio de duplici obiecto.** Restat ergo dicere quod videtur sub tribus propositionibus. Prima quod obiectum alicuius actus potest accipi dupliciter, aliquando quidem formaliter, sicut color dicitur obiectum visus, aliquando vero materialiter, sicut lignum vel lapis sunt visionis obiecta. Est autem considerandum quod mutatio  
195 obiecti formalis de necessitate induceret mutationem actus, sicut patet quod si color immutaretur, de necessitate mutaretur et visio; mutatio vero obiecti materialis non induceret novitatem in actu, si tamen obiectum formale idem numero permaneret. Unde si manente eodem colore in numero lignum mutaretur in lapidem, aspiciens continue non amisisset priorem visionem; et per divinam potentiam aliquo intente stellam, substantia stellae transiret et adveniret substantia alia, nullo modo visio intuentis esset mutata, sicut patet de intuitu  
200 specierum panis in sacramento altaris.

**Quod Spiritus Sanctus procedit tamquam in terminum in omne illud in quod tendit amor divinus tamquam in obiectum.** Secunda vero propositio est quod Spiritus Sanctus dicitur  
205 procedere tamquam in terminum et dari tamquam termino et amato omni illi in quod tendit amor divinus. Hoc autem patet ex praecedentibus, licet enim Spiritus Sanctus non procedat ut amor formaliter, procedit tamen ut donatus ex vi amoris, propter quod tendit ad illud ad quod amore coniungit. Amor autem divinus\* super aliqua transit immutabiliter, complacet enim Deus immutabiliter in essentia /X 387b/ propria et in omni immutabiliter eam participante; participant  
210 autem eam identitate omnes personae divinae, aut omnes similitudines perfectionis <divinae> [diminutae\* Vb], quarum quidam sunt quaedam primariae et essentiales, sicut pro-/Vb 198rb/-prietates quiditative omnium creaturarum, quaedam vero sunt secundariae et quasi accidentales – et harum quaedam consequuntur creaturas irracionales intellectu carentes, quaedam vero creaturas intellectuales, et harum etiam quaedam perficiunt naturam intellectualem in esse  
215 naturali, sicut naturales perfectiones, quaedam vero secundum esse voluntarium et intellectualem, ut virtutes et aliae perfectiones animae. Secundum hoc ergo divinus amor tendit per modum complacentiae, primo et principaliter in essentiam et personas et omnia intrinseca, secundo vero et participative, immutabiliter tamen, in quidativas rationes omnium creaturarum, et in perfectiones earum, et singulariter in perfectiones creaturae rationalis, quae debentur sibi ut

220 intellectualis est; in istis enim singulariter assimilantur divinae naturae quae est etiam  
 intellectualis. Unde cum Deus iustus, verus, pius, et caritativus sit, maxime diligit dilectione  
 immutabili caritatem, iustitiam, pietatem, et ceteras perfectiones. In omnia vero ista tendit amor  
 divinus quodammodo formaliter in quantum quodlibet habet diligibilis rationem – sed essentia  
 habet quidem principaliter et per se, quae vero sunt extra essentiam secundario et participative.  
 225 Et haec est ratio propter quam immutabiliter fertur in obiecta huiusmodi, quia dictum est in  
 praecedenti propositione quod ad mutationem obiecti formalis necesse est actum mutari, unde  
 cum divina dilectio immutabilis sit, necesse est ut immutabiliter tendat in divinam essentiam, ac  
 quiditates creaturarum et perfectiones naturales earum, et singulariter <in perfectiones>  
 [imperfectiones Vb] creaturae rationalis. Secundum hoc ergo Spiritus Sanctus immutabiliter  
 230 procedit in ista omnia tamquam in terminos, non quia procedat ut amor istorum, sed quia est  
 amarus impulsus, ut saepe dictum est, respectu omnium istorum.

Ulterius autem est <attendendum> [intuendum\* Vb] quod quaedam sunt, in quae amor  
 divinus non tendit immutabiliter, et per consequens nec formaliter, sed tantum mutabiliter et  
 contingenter; sunt autem ista existentiae creaturarum, et secundum esse quiditativum et  
 235 secundum esse accidentale, quod capiunt per proprietates naturales, et secundum esse morale,  
 quod capiunt creaturae rationales ex perfectionibus virtuosis. Constat enim quod Deus  
 existentias istas non vult immutabiliter, alioquin immutabiliter produceret et conservaret. Cum  
 igitur ex praecedenti propositione satis appareat, quod actus immutabilis super nullum obiectum  
 mutabiliter transire potest, nisi illud materiale sit et participans obiectum formale, inde videri  
 240 potest quod Deus non amat res existere, secundum esse naturale, nec creaturam rationalem  
 secundum esse morale, nisi in quantum participatur in eis quiditas, quae dat esse naturale, et  
 virtutes gratuita, quae dant esse gratuitum et morale. Intantum quidem amore complacentiae  
 generalis amat Deus omnes creaturas existere, in quantum immutabiliter complacet in /X 388a/  
 ipsis quiditatibus rerum; complacet autem in eis, sive existant sive non existant, propter quod  
 245 non vult eas existere aut non existere, complacentia transeunte super existere vel non existere  
 formaliter, sed materialiter tantum. Haec est enim condicio materialis obiecti, ut actu non  
 mutato circa formale obiectum, mutatio fieri possit circa materiale, ut patet de intuente panem  
 ante consecrationem et post; mutatur enim panis substantia, et tamen nec color nec visio  
 immutatur. Consimiliter ergo mutatur res de non esse in esse, et e converso de existere in non  
 250 existere, divina complacentia eadem permanente circa rei quiditatem; eodem quoque modo  
 intelligendum est de perfectionibus gratuitis in illis, namque immutabiliter ab aeterno complacet  
 Deus, sive /Vb 198va/ participantur ab anima sive non. Hoc enim accidit donis gratuitis in  
 quantum in ipsis complacet amor divinus, unde prout sunt in divino intuitu ab aeterno,  
 immutabiliter sibi placent et cum participantur ex tempore in anima, anima ipsa participare  
 255 incipit aeternam Dei complacentiam nulla immutatione facta circa complacentiam, nec ex parte  
 actus nec ex parte formalis obiecti, quae sunt dona gratuita, sed ex parte materialis, quae est  
 anima participans de novo et immutabiliter dona gratuita, immutabiliter et ab aeterno dilecta.

Colligitur itaque ex praemissis quod Deus amore complacentiae diligit omnem creaturam  
 tam rationalem quam irrationalem, immutabiliter quidem quantum ad esse quiditativum et ad  
 260 ipsam realitatem, mutabiliter tamen amat eas existere et non existere, nulla mutatione facta in  
 eius amore vel obiecto formali ipsius. Amore autem cuiusdam complacentiae specialis diligit  
 dona gratuita, immutabiliter quidem aspiciendo ipsa dona, mutabiliter vero diligit animam  
 participantem ipsa dona, quoniam anima amittente vel retinente dona, semper manet eadem  
 acceptatio immutabilis, et aeterna eorumdem donorum. Secundum hoc ergo Spiritus Sanctus  
 265 quadam processione generali procedit in omnem realitatem creaturae tamquam in terminum sed  
 immutabiliter, et tamquam terminum formalem aspicit omnes realitates rerum; eas vero existere  
 et non existere mutabiliter aspicit, et tamquam quid materiale. Processione vero speciali Spiritus  
 Sancti in perfectiones gratificantes procedit tamquam in terminum in quem tendit immutabiliter  
 et ab aeterno: in animas vero sanctas procedit mutabiliter, prout participare incipiunt dona  
 270 gratuita, quae sunt termini immutabiles aeternae processiois; et sic patet quod in tot procedit  
 Spiritus Sanctus tamquam in terminum, in quot procedit amor divinis tamquam in obiectum,  
 quae erat propositio secunda. Qualiter autem divina voluntas non complacet in esse existentiae  
 nec in eius opposito, declarabitur infra, distinctione 45, dum agetur de voluntate divina. /X  
 388b/

275

**Quod Spiritus Sanctus, qui est tertia in trinitate persona, dicitur vere et proprie procedere ex tempore.** Tertia quoque propositio est quod ipsamet persona divina quae dicitur Spiritus Sanctus vere procedit et proprie ex tempore, processione quidem generali in omnem creaturam, quando creatur et capit esse existentiae; processione vero speciali in creaturam rationalem, quando gratificatur et capit esse gratiae.

Primum siquidem patet, quoniam Spiritus Sanctus in omne illud procedit tamquam in terminum in quo participatur immutabilis terminus suae aeternae emanationis, sicut patet quod visio oculi procedit in lignum vel lapidem et omne illud in quo recipitur color, et si esset una aeterna visio quae ferretur in aliquem colorem, procederet eadem visio in omne illud quod ex tempore subiceretur illi colori. Sed declaratum est ex propositione secunda quod terminus immutabilis aeternae emanationis Spiritus Sancti sunt realitates creaturarum omnium secundum rationem propriam et quidditativam. Ergo cum huiusmodi quidditates per creationem esse accipiunt ex tempore, formalis terminus emanationis aeternae participatur ex tempore; et per consequens Spiritus Sanctus in omnem creaturam ex tempore procedit, et hanc conclusionem cum sua ratione Sapiens innuit Sapientiae 7, ubi dicit loquens de Spiritu sapientiae /Vb 198vb/ quod attingit ubique propter sui munditiam, quia vapor est virtutis Dei, et emanatio quaedam claritatis omnipotentis Dei sincera; ex hoc quidem quod Spiritus Sanctus est quidam amarus impulsus et emanatio vaporosa, ut ita liceat dici, attingit omnem creaturam, quia in omnibus immutabiliter complacet Deus.

Secundum vero patet ex medio consimili, quoniam Spiritus Sanctus in omne illud procedit quod participat aeternum terminum et immutabilem suae emanationis et processions aeternae. Sed anima, ex tempore capiens esse gratuitum et perfectiones gratificantes, participat ex tempore terminum immutabilem emanationis et processions aeternae ipsius Spiritus Sancti, cum declaratum sit quod Deus immutabiliter complacet in donis gratuitis, et versus illa Spiritus Sanctus emittitur ab aeterno. Ergo cum anima gratificabitur, Spiritus Sanctus ex tempore procedet in eam, quam quidem conclusionem et medium sapiens innuit ubi supra, cum subdit quod per nationes in animas sanctas se transfert et amicos Dei, ac prophetas constituit, quia neminem diligit Deus, nisi eum qui cum sapientia inhabitat, hoc est cum gratuitis donis, quae censentur hoc nomine sapientiae.

Sic ergo Spiritus Sanctus dicitur ex tempore procedere, non quia sola dona ipsius profluant et procedant, sed quia ipsemet qui est persona divina procedit; nec etiam ex hoc in animam procedere dicitur, quia efficiatur motor et rector ipsius, et amatus ac intellectus ab anima, quia hoc commune [est] personae cuiuslibet est, ut superius dicebatur, sed ex hoc vere procedit in animam, quod ipsa per dona gratuita constituitur terminus /X 389a/ ex tempore processions Spiritus Sancti aeternae, sicut de visione quae super panem procedit mediante colore dici potest, si transubstantietur panis in aliam naturam, quod illa eadem visio quae prius erat, de novo transit super naturam quae substernitur colori praecedenti, qui iam erat in pane.

Et in hoc finitur articulus primus.

315

### Articulus Secundus

**Quomodo se habet processio temporalis ad aeternam. Opinio Bonaventurae.** Circa secundum autem dixerunt aliqui quod processio temporalis et aeterna non dicuntur aequivoce, nec univoce, sed quodammodo analogice, quia una includitur in altera; unde est eadem processio Spiritus Sancti aeterna et temporalis, sed tamen dupliciter dicta, quia quod procedat ab hoc in hoc, ut in obiectum aeternum est, quod vero ab hoc in hoc, ut in habitaculum, est temporale.

Haec autem opinio exigit sanum intellectorem, videtur enim innuere quod sint duae processiones, una aeterna quae respicit obiectum, et alia temporalis quae respicit habitaculum; videtur etiam innuere quod temporaliter non procedat in animam Spiritus Sanctus tamquam in terminum processions aeternae, et secundum hoc acquireret termini novitatem.

**Opinio Alexandri de Alexandria.** Et ideo dixerunt alii quod processio aeterna et temporalis non ponunt in numerum ex parte processions, quia non sunt duae processiones, sed ex parte connotati; processio namque aeterna, in quantum connotat effectum sanctificationis in creatura,

330 dicitur temporalis. Unde sicut Deus et Deus creans sunt unum et idem cum certo connotato, sic processio Spiritus Sancti ut est aeterna et ut est temporalis atque sanctificans.

**Opinio Hervaei, *Scripto primo.*** Fuerunt autem alii quasi concordantes in idem, /Vb 199ra/ unde dixerunt quod processio temporalis est quasi quoddam totum aggregatum ex aeterna  
335 processione et ex novo modo essendi Spiritus Sancti in creatura. Unde habent se processio temporalis et aeterna sicut quantitas simpliciter et quantitas albedini coniuncta, licet enim albedo et quantitas realiter distinguantur, eadem tamen est quantitas sumpta simpliciter et albedini coniuncta. Similiter in proposito, origo personae Spiritus Sancti quae est aeterna processio prout simpliciter sumitur et prout sibi coniungitur quidam novus modus essendi  
340 Spiritus Sancti in creatura, non erit alia et alia processio; et per consequens processio aeterna et temporalis non ponunt in numerum processionum, quamvis ponant in numerum rerum, nam origo et modus essendi Spiritus in creatura duae res sunt, non tamen duae processiones sicut quantitas et quantitas dealbata ponunt rerum in numerum, nam /X 389b/ duae res sunt quantitas et albedo, non tamen ponunt numerum quantitatum.

345 **Opinio Durandi, *Scripto Suo.*** Dixerunt deinde alii quod processio temporalis addit ad aeternam quandam respectum rationis ad effectum sanctificationis existentem in creatura. Cum ergo quaeritur de processione temporali, an ponat in numerum cum aeterna, dicendum quod non ponit in numerum processionum, quia respectus rationis qui est ad creaturam, non est nova  
350 processio; nec addit numerum rerum formaliter, quia creatura non est intrinsece de ratione processionis, sed extrinsece tantum; nec addit numerum simpliciter, quia res et ratio non videntur facere multitudinem simpliciter dictam. Si tamen ratio 'res' aliququaliter appelletur, dici potest quod processio temporalis addit rem, quia respectus rationis, et ponit in numerum eo modo quo totum ad suam partem addit aliam partem, secundum quam ponit in numerum cum  
355 priori. Unde processio temporalis est quoddam totum aggregatum ex aeterna processione et respectu rationis ad effectum sanctificationis. Et quia ad novitatem totius sufficit quod altera pars sit nova, ideo temporalis processio dicitur nova, quamvis includat aeternam, propter respectum rationis qui advenit de novo.

360 **Quid dicendum secundum veritatem.** Restat ergo inquirere quod videtur circa istud quaesitum. Et dicendum quod prima et ultima positio in hoc deficiunt, quod imaginantur processionem temporalem addere aliquid medians inter processionem aeternam et terminum. Et prima quidem dicit quod additur connotatio termini. Ultima vero quod additur respectus rationis. Opinio autem media deficit evidentius, quia imaginatur effectum sanctificationis esse  
365 intrinsecum temporali processionem, quod esse non potest, processio namque temporalis est ad sanctificationem creaturae, ut dicit Augustinus, per quod patet quod sanctificatio non additur aeternae processionem, ut ex ambobus constituatur processio temporalis; sed si aliquid adderetur, magis adderetur rationis respectus, vel connotatio istius effectus, quemadmodum imaginantur aliae duae opiniones.

370 Est ergo considerandum hic quod temporalis processio nihil addit ad aeternam <quod> [quae Vb] mediet inter ipsam et suum terminum, sed addit tantum participationem sui formalis termini, sicut visioni, <qua> [quae Vb] color existens in pane cernitur, addit visio corporis Christi, non quidem aliquid quod mediet inter visionem et colorem, sed solam participationem coloris a corpore Christi, quod sacramentaliter existit sub speciebus /Vb 199rb/ post  
375 consecrationem panis. Secundum hoc ergo, Spiritus Sanctus procedens aeternaliter in dona gratuita, in quibus immutabiliter complacet Deus, procedere dicitur temporaliter in animam, participantem ex tempore dona illa; et ita processio aeterna non induit respectum rationis nec connotationem aliquam /X 390a/ dum efficitur temporalis, sed eius terminus participatur de novo a creatura. Unde posset describi processio temporalis, est enim aeterna Spiritus Sancti  
380 processio terminata de novo ad aliquid materiale, participans ex tempore formalem ipsius terminum immutabilem et aeternum.

Et in hoc finitur articulus secundus.

## &lt;Articulus tertius&gt;

385 **Quod processio temporalis est proprietas Spiritus Sancti.** Circa tertium autem  
considerandum quod aliqua videntur difficultatem facere ne temporalis processio sit Spiritus  
Sancti proprietas. Primum quidem quia proprium inest semper, temporalis autem processio non  
inest semper Spiritui Sancto. Secundum vero quia nullum mutabile et tempori subiectum videtur  
esse proprietas Spiritus Sancti. Tertium quoque quia primum debet competere soli, temporalis  
390 autem processio competit Filio immo et Patri, secundum illud Ioannis 14.: “Pater meus diligit  
eum et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus”; et loquitur ibi de fideli in gratia  
existente.

His tamen non obstantibus, dicendum est quod temporalis processio est Spiritus Sancti  
proprietas; proprium est enim Spiritus Sancti quod procedat per modum amorosi impulsus, et  
395 Dei positi in esse dato erga iustitiam et caritatem et ceteras bonitates suas; non est enim iustus,  
qui iustitiam non diligit, nec caritativus, qui caritatem non diligit, secundum Augustinum. Unde  
Deus necessitate immutabilitatis spirat erga suam essentiam, et per consequens erga caritatem,  
iustitiam, et ceteras perfectiones simpliciter, quae in deitatem coincidunt secundum rem et  
rationem. Sed omne illud, cui est proprium sic procedere, habet quod possit temporaliter  
400 procedere, inquantum de ratione caritatis et ceterarum perfectionum est quod possint ex tempore  
participari. Unde processio Filii non potest participari in aliud tamquam in terminum qui possit  
de novo participari. Ergo relinquitur quod proprietas Spiritus Sanctus sit quod possit  
temporaliter procedere, non quidem quod ista temporalitas determinet processionem aut circa  
ipsam aliquid ponat, sed tantum circa terminum novam participationem.

405 Nec difficultates propositum impediunt. Prima siquidem non, nam temporalis processio  
potest accipi vel pro actu vel pro aptitudine, sicut ridere et risibile differunt sicut actus et  
aptitudo; processio itaque temporalis aptitudinaria est proprietas Spiritus Sancti, sibi competens  
ab aeterno, inquantum procedit ut donabilis et processibilis ex tempore, pro eo quod terminus  
suae processionis participabilis est ex tempore. Loquendo vero de actuali processione, ista non  
410 inest semper nec ab aeterno, sicut nec ridere inest semper homini, cuius tamen proprietas est  
risibile aptitudinaliter sumptum. Secundum hoc ergo intelligi debet quod processio aptitudinalis  
sit Spiritus Sancti proprietas, iuxta quod Augustinus determinat, V *De trinitate*, capitulo 18,  
dicens quod quia Spiritus Sanctus /X 390b/ ab aeterno procedebat ut esset quoddam donabile,  
ideo donum erat, etiam antequam esset cui daretur. Et per hoc patet quod secunda non impedit:  
415 tum quia aptitudinalis processio aeterna est; tum quia nulla mutabilitas ponitur in processione,  
sed solummodo nova participatio termini. /Vb 199va/

Nec etiam tertia impedit, est enim considerandum quod habitatio trinitatis in mente hominis,  
et mansio et adventus, differunt a processione, tota namque trinitas dicitur manere et inhabitare  
per gratiam, ac venire in animam, non tamen dicitur procedere, quia processio importat  
420 egressum ab aliquo in aliud. Pater autem non egreditur ab aliquo, nec Filius egreditur a Patre in  
creaturam; sed Spiritus Sanctus recte egreditur a Patre et Filio in omne illud quod amatur amore  
complacentiae ab utroque, propter quod proprie sibi competit ab utroque procedere erga dona  
gratuita ab aeterno. Et dum participantur ex tempore ab anima sancta, participatur ab eadem  
anima illud erga quod procedit Spiritus Sanctus; et per consequens erga animam gratuitam  
425 procedere dicitur. Sic igitur proprium est Spiritus Sancti in animam procedere, non autem in  
eam venire aut eam inhabitare, immo toti trinitati hoc competit iuxta verbum preallegatum: “ad  
eum veniemus et mansionem apud eum faciemus”. Si autem quaeratur an sit alia habitudo  
Spiritus Sancti procedentis in creaturam ab habituine eiusdem et trinitatis totius inhabitantis et  
manentis apud eam, dicendum quod haec mansio debet intelligi eo modo quo amans manet in  
430 amato, et e converso. Unde trinitas manet in mente grata, et quia amat eam et quia amatur ab ea;  
processio vero debet intelligi eo modo quo Spiritus procedere dicitur in terminum  
complacentiae et amoris. Unde non est aliud Spiritum Sanctum in animas sanctas procedere  
quam terminum processionis aeternae in animabus sanctis esse et poni ex tempore, ut dictum est  
saepe.

435 Colligendo itaque ex praedictis, apparet quomodo ipsemet Spiritus Sanctus procedit in  
sanctificatione creaturae et quid sit eius processio temporalis, quia non dicit nisi novam  
participationem termini immutabilis aeternae processionis; et quomodo sit Spiritus <Sancti>  
[Sanctus Vb] proprietas et quomodo detur Spiritus Sanctus, non solum in donis gratiae, immo



etiam in donis naturae, quamvis perfectius et completius secundum dona gratiae detur, tum quia  
 440 dona gratiae perfectiora sunt, tum quia in eis magis et ultimatus complacet Deus. Propter quod  
 Spiritus Sanctus dicitur secundum ea magis procedere et donari complete.

Et in hoc tertius articulus finitur

### Responsio ad obiecta

445 Ad ea ergo quae superius inducuntur dicendum est. Ad primum quidem quod processio motum  
 localem non importat, sed amorosum impulsus; nec processio temporalis novitatem inducit in  
 ipsa processione, sed tantum novam participationem ponit in termino aeternae processionis.

Et per idem patet ad secundum, quia processio temporalis et aeterna non sunt duae  
 processiones, sed una et eadem, quae ut est in se, aeterna /X 391a/ dicitur; ut autem participata  
 450 per modum termini, dicitur nova et temporalis.

Ad tertium dicendum quod non ex hoc Spiritus Sanctus dicitur procedere, quia dona eius  
 gratuita profluant ab ipso in mentem, immo quia ipsemet in mentem profluit et procedit  
 tamquam in terminum, pro eo quod ibi participatur terminus suae processionis aeternus.

Ad quartum dicendum quod Spiritus Sanctus est in omni creatura, sicut et tota trinitas per  
 455 essentiam, praesentiam, potentiam; et ultra hoc est in omni creatura tamquam in termino divinae  
 complacentiae et amorosi impulsus propter naturam ipsam et naturalia dona, in quibus  
 complacet Deus. Unde Sapiens dicit, Ecclesiastici primo: "Ipse creavit illam in Spiritu Sancto",  
 et effu<n>dit super omnia opera sua, et loquitur de naturis rerum secundum rationem a Deo  
 productis quam rationem sapientiam vocat; est autem ul-/Vb 199vb/-tra hoc specialissimo modo  
 460 per dona gratuita in mente sanctificata, tamquam in id quod participat terminum suae  
 processionis.

Ad quintum dicendum quod donum amoris est id quo Spiritus Sanctus dicitur mentem  
 attingere tamquam terminum suae processionis, et cum hoc est id quo anima procedit in Deum;  
 nam et Deus diligit animam in qua est gratia, et per consequens emittit Spiritum Sanctum in  
 465 eam; et e converso, anima diligit Deum et emittit /X 391b/ Spiritum proprium in eum, sed  
 tamen ordine causalitatis prius Deus emittit Spiritum suum in animam quam anima recipere  
 suum Spiritum emittat in Deum, secundum illud prima Ioannis 4: "In hoc apparuit caritas Dei in  
 nobis, non quia nos primo dileximus eum, sed quia ipse prior dilexit nos". Unde propter hanc  
 rationem dicitur caritas Dei diffundi per Spiritum, quia Spiritus emissio causa est quod spiritus  
 470 noster elevetur in Deum.

Ad sextum dicendum quod non solum per caritatem effunditur Spiritus Sanctus, sed quia  
 completiori modo et perfectiori et ultimiori per caritatem et dona gratuita attingit Spiritus  
 Sanctus animam ut terminum suae processionis aeternae, ideo quodam appropriato modo  
 loquendi Spiritus Sanctus dicitur dari per gratiam et diffundi.

475 Ad ultimum dicendum quod dona Dei, prout habent habitudinem effectus et causati,  
 respiciunt communiter et aequaliter tres personas. Prout autem habent habitudinem termini erga  
 quem est impulsus amoris ab aeterno in Deo, sicut et erga omnem perfectionem participantem  
 divinam bonitatem, sub ista quidem habitudine habent aspectum ad personam Spiritus Sancti.  
 Non dicitur autem dari Spiritus Sanctus aut procedere secundum ista dona propter primam  
 480 habitudinem, sed propter secundam, et hinc est quod tota trinitas non procedit, cum contingit  
 dona ista conferri.